

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project  
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

*Compendium moralium notabilium* (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 4, Liber 3: de potentia et honoribus et contrariis et pertinentibus ad hec

De potentioribus et impotentioribus: Rubrica 1

Salomon in proverbiis capitulo 19. Multi colunt personam potentis.

Aristoteles pollyticorum libro 6. capitulo 2. Semper querunt quod iustum et quod equale est. qui minores sunt: preeminentes autem nihil curant.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 4. Noli resistere contra faciem potentis: nec coneris contra ictum fluii. 8. capitulo. Non litiges cum homine potente ne forte incidas in manibus eius. Noli fenerari homini fortiori te. Quod si feneraueris quasi perditum habe. 13. capitulo. Aduocatus a potentiore discede. ex hoc enim magis te aduocabit.

Terentius in hecyra. Omnibus nobis vt res dant sese ita magni aut humiles sumus. In phormione capitulo 3. Quam inique comparatus est: hi qui minus habent vt semper aliquid addant diuitioribus.

Salustius in iugurtino. In omni certamine qui opulentior est etiam si accipit iniuriam: tamen quia plus potest facere videtur.

Ouidius sine titulo seu amorum libro 2. capitulo 16. Aptari magnis inferiora licet.

Seneca tragediarum in medea capitulo 6. Nemo potentes aggredi tutus potest. Idem epistolarum ad lucillum libro 2. epistola 5. Sapiens nunquam potentum iram prouocabit: immo et declinabit iram alter quam in nauigando procellam.

Iuuenalis libro 3. satyra 2. Omne animi vicium tanto conspectaris in se. / Crimen habet quanto maior qui peccat habetur.

Lex digestorum titulo de alienatione iuditii etc. l. iii. in principio. Potentiori pares esse non possumus.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Quem leo non tetigit dum mordet aranea ledit / Cole non tantum grandia: parua caue.

Commented [CN1]: fol.96va

Macrobius saturnaliorum libro 2. capitulo 18. exautior liberii. Potestas non solum si inuitet: sed etsi supplicet cogit.

Cato capitulo i. Maiori cede: / Minorem ne contempseris: / Nil arbitrio virium feceris. / Misericordia noli irridere. Capitulo 2. Uincere cum possis interdum cede sodali. / Obsequio quoniam dulces retinentur amici. / Que superare potes interdum vince ferendo. Capitulo 3. Corporis exigui vires contempnere noli. / Consilio pollet cui vim natura negavit. Capitulo 5. et finali. Dimissos animos

et tacitos vitare memento. / Quod flumen est placidum forsan latet altius vnda / Cede locum Iesus fortune cede potenti. / Ledere qui potuit poterit aliquando prodesse.

Boetius de consolatione libro 3. capitulo 10. Qui se volet esse potentem: / Animos domet ille feroce. / Nec victa libidine colla / Fedis submittat habenis. Capitulo 15. Potentiam desideras subiectorum insidiis obnoxios periculis subiacebis.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 21. Si dominus vincat oppressionis inuidia est: equitas vero creditur si supplicem superare contingat. 44. epistola et penultima. Plerunque res parue plus preualent prestare: quam magne possunt obtinere diuitie.

Isidorus in synonyma soliloquiorum libro 2. Superiori equalem te ne exhibeas.

Uersificator fabularum esopi fabula 13. Non sit qui studeat: quia maior obesse minorit / Cum bene maiori possit obesse minor. Fabula 18. Summum vincere parua pudet. / Si vincat minimum summus: sic vincere vinci est. / Tu qui summa potes ne despice parua potentem. / Nam prodesse potest si quis obesse nequit. Fabula 41. Cum maiore minor conferri desinat et se / Consulat: et vires temperet ille suas. **Fabula** 52. Maiori timeat obuius ire minor.

Commented [CN2]: fol.96vb

Iohannes solobriensis anglicus in polycratone libro 4. Dionydes pirata ab alexandro rege apprehensus: interrogatusque quid ei videretur: quod mare haberet infestum: liber contumacia quid tibi inquit tu orbem terrarum. Sed quia id ego vno nauigio facio latro vocor: quia tu magna classe diceris imperator. Si solus captus sit alexander latro erit si ad nutum dionydi famulentur populi: erit dionydes imperator.

Auctor libelli qui incipit astrolabi. Ira potentis erit quasi fulgoris ictus habenda. / Sicut hic est sic est illa cauenda tibi.

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Est orare ducum species violenta iubendi / Et quasi nudato supplicat ense potens.

Tullius in thymeyum platonis: siue de essentia mundi. Non esset rectum minori parere maiorem.

#### De imperio et potestate et dominatione priuatorum: Rubrica 2

Salomon in prouerbii capitulo 12. Manus fortium dominabitur: que autem remissa est tributis seruiet. 22. capitulo. Dives pauperibus imperat. Idem in ecclesiastice capitulo 8. Interdum dominatur homo homini in malum suum.

Aristoteles topicorum libro 4. Omnis potestas eorum que sunt eligenda est.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 3. Quanto magnus es humilia te in hominibus et coram deo inuenies gratiam. 33. capitulo. Filio et mulieri: fratri et amico non des potestatem super te in vita tua. Non dederis aliis possessiones tuas: ne forte peniteat te: et depreceris pro illis: dum adhuc superes et aspiras non immutabit te omnis caro. melius est enim vt filii tui te rogent: quam te respicere in manus filiorum tuorum.

Terentius in adelphis capitulo 3. Qui imperium credit grauius aut stabilius vi quod sit quam illud quod amicitia adiungitur.

Virgilius eneide libro 6. ad finem. He tibi erunt artes: pacisque imponere mores. / Parcere subiectis: et debellare superbos.

Commented [CN3]: fol.97ra

Tullius rhetoricon artis veteris libro 2. capitulo 11. Potentia est ad sua conseruanda et alterius obtinenda: idonearum rerum facultas.

Ouidius de arte amandi libro 3. et finali. Non bene cum sociis regna venusque manent. Idem methamorphosis libro 2. Non bene conueniunt nec in vna sede morantur / Maiestas et amor.

Paulus apostolus in epistola ad romanos capitulo 13. Non est potestas nisi a deo.

Seneca tragediarum in tyeste capitulo 5. Nec abnuendum si dat imperium deus. / Nec appetendum. Idem in epistolis ad lucillum libro 19. epistola 7. Imperare sibi maximum imperium est.

Lucanus libro i. circa principio in 2. charta. Nulla fides regni sociis: omnisque potestas. / Impatiens consortis erit. Libro 8. Uirtus et summa potestas / Non coeunt.

Iuuenalis libro 4. satyra i. Quosdam precipitat subiecta potentia magne inuidie.

Ualerius maximus libro 5. titulo i. in finem. Ea demum tuta est potentia que viribus suis modum imponit.

Lex digestorum titulo si a parente quis manumissus fit. l. i. Iniquum est ingenuis hominibus non esse liberam rerum suarum alienationem. Lex codicis titulo de iudeis l. nemo. Iustum est sua cuique committere. Titulo mandati l. in re mandata. Sue quisque rei moderator atque arbiter est. Titulo de contrahenda emptione l. dudum. Grauis videtur iniuria vt homines de rebus suis facere aliquid cogantur inuiti.

Macrobius saturnaliorum libro 2. capitulo 18. exautior liberii. Potestas non solum si inuitet: sed etiam si supplicet cogit.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 2. Blandiri non dignatur animus dominii potestate munitus. Libro 11. epistola 2. Rarum omnino bonum est dominium triumphare de moribus.

Claudianus libro i. Asperius nihil est humili cum surgit in altum.

Gregorius in pastorali capitulo 10. Quid est potestas culminis nisi tempestas mentis: in qua cogitationum semper procellis nauis cordis quatitur: huc illucque incessanter impellitur vt per repentinios excessus oris et operis quasi per obuiantia saxa frangantur.

Commented [CN4]: fol.97rb

Isidorus in synonyma soliloquiorum libro 2. A subditis venerari magis quam timeri stude.

Gualterius de castellione libro i. Qui pluuialibus vndis incurrint torrens fluit acrior amne perenni. / Sic partis opibus et honoris culmine seruus. / In dominum surgens truculentior aspide surda / Obturat precibus aures: et mansuescere nescit.

Iacobus beneuentanus capitulo 55. Dum retinere potes dominatum non dabis vlli.

Prouerbia vulgaria. A segnore non mancha caxun.

De humilitate: seu mititate superbia elatione et fastu: Rubrica 3

Job capitulo 5. Deus ponit humiles in sublime. 11. capitulo. Uir vanus in superbiam erigitur: et tanquam pullum honagri se liberum natum putat. 15. capitulo. Cunctis diebus suis impius superbit. 22. capitulo. Qui humiliatus fuerit erit in gloria: et qui inclinauerit oculos ipse saluabitur.

Salomon in prouerbiis capitulo 11. Ubi fuerit superbia ibi erit et contumelia. vbi autem humilitas: ibi et sapientia. 12. capitulo. Meror in corde viri humiliabit illum. 13. capitulo. Inter superbos semper iurgia sunt. 14. capitulo. In ore stulti uirga superbie. 15. capitulo. Lingua placabilis lignum vite. Domum superborum demolietur dominus. Gloriam precedit humilitas. 16. capitulo. Contritionem precedit superbia: et ante ruinam exaltatur spiritus. 19. capitulo. Cum obsecrationibus loquitur pauper: et diues effabunt rigide. 29. capitulo. Superbum sequetur ignominia: et humilem spiritu suscipiet gloria. Idem in ecclesiastice capitulo i. In multa sapientia multa est indignatio.

Tobie hystoria capitulo 4. Superbiam nunquam in tuo sensu: aut in tuo verbo dominari permittas. in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.

Abacuch propheta capitulo 2. Quomodo vinum potentem decipit: sic erit vir superbis et non decorabitur.

Commented [CN5]: fol.97va

Hieremias propheta prophetiarum capitulo 50. et antepenultimo. Cadet superbis et corruet et non erit qui suscitet eum.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Esto adherentibus tractabilis: non sublimis: nam despicientium tumorem vix equidem tollerabunt serui: modum vero tractabilium cuncti ferunt alacriter.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 2. In igne probatur aurum et argentum: homines vero receptibiles in camino humiliationis. 3. capitulo. Quanto magnus es humiliate in hominibus: et coram deo inuenies gratiam. Cor durum male habebit in nouissimo. 10. capitulo. Odibilis coram deo et hominibus est superbia. Initium omnis peccati est superbia. 13. capitulo. Abominatio est superbio humilitas. 21. capitulo. Domum que minus locuplex est annullabit superbia. Substantia superbii eradicabitur. 25. capitulo. Ait iesus filius sirach. Tres species odit anima mea: Pauperem superbum: diuitem mendacem et senem fatuum et insensatum. 27. capitulo. Effusio sanguinis in rixa superborum.

Tullius de officiis libro i. capitulo 45. Etiam in rebus prosperis et ad voluptatem nostram fluentibus superbiam magno opere fastigium arrogantiamque fugiamus. Idem in oratione pro marco marcello: Uictoria insolens et superba est.

Ouidius de arte amandi libro 2. Erue fastus / Curam mansuri quisquis amoris habes. Libro 3. et finali. Odimus in modicos experto credite fastus. Idem de fastis libro i. Fastus inest pulchris: sequiturque superbia formam. Idem de ponto libro i. Artibus ingenuis quarum tibi maxima cura est / Pectora molescunt: asperitasque fugit.

Mattheus in euangelio capitulo 3. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. 23. capitulo. Qui se humiliat exaltabitur: et qui se exaltat humiliabitur. Idem dicit lucas in euangelio capitulis 14. et 18.

Petrus apostolus epistola 2. Omnes inuicem **humilitatem** insinuate: quia deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam.

**Commented [CN6]:** fol.97vb

Seneca epistolarum ad lucilium libro 2. epistola 2. et finali. Diuitie inflant animos: superbiam pariunt: inuidiam attrahunt. alia contrahunt. Idem tragediarum in troha capitulo 4. Quo fortuna altius / Euxit ac leuauit humanas opes: / Hoc se magis supprimere felicem decet. In octauia capitulo 4. Uince obsequendo potius immitem virum.

Iuuenalis libro i. satyra 5. Maxima queque domus seruis est plena superbis.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 25. et penultimo. Pro felicitate superbii et incautius mentes efferuntur humane.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 1. Etheream pacem ventosa superbiam tollit.

Ambrosius de officiis libro 2. capitulo 14. Humilitas gratiam auget.

Prudentius de phicomachia capitulo 5. Desine grande loqui: frangit deus omne superbum. / Alta cadunt: inflata crepant: tumefacta premuntur / Disce supercilium deponere: disce cauere / Ante pedes foueam: quisquis sublime veharis / Peruulgata viget nostri sententia christi / Scandere celsa humiles: et ad ima redire feroce.

Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 41. et finali. Iocunda prosperitas illis potius blanditur qui austерitate nimia non rigescunt. Libro 3. epistola 3. Superbiam diuinitati semper exosam prosequi debet generalis assensus. Libro 4. epistola. 4. Humilitas tam clara quam rara est. Libro 10. epistola 11. De modestia laus sumitur: de elatione odium concitatur.

Claudianus libro i. Inquinat egregios adjuncta superbiam mores.

Gregorius in pastorali capitulo 10. Nequaquam valet in culmine humiliter discere qui inuicem positus non desinit superbire.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 13. Alas superbie non extendas. Elationis pennas non erigas. 51. capitulo. Quamuis summus sis humilitatem tene.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 2. Ut placeat cunctis nullum decet esse superbum. / Qui sic inflatur deserit omne bonum. / **Sit** blandus facie: sit mitior ingeniose / Ne contemptibilis sit ipse forte cito. Capitulo 5. Nam cito sepe ruit qui super astra volat.

**Commented [CN7]:** fol.98ra

Baldo 11. fabula. Palma datur quando magis assentamine blando.

Bernardus libro de improbatione viciorum capitulo 2. Firma solet virtus humilis seruare quietos / Non cadit in plana qui requiescit humo. Capitulo 3. Mitibus et gratis nemo nocere potest. Capitulo 4. Mitia pacificam pariunt precordia vitam.

Gualterius de castellione libro 2. Parcite mortales animos extollere fastu. / Collatis opibus: aspernarique minores.

Mattheus vindocinensis de hystoria tobie capitulo 25. Sperma nocens desit ventosa superbia morum / Prodigia: neque fomes: origo necis.

Auctor libelli qui incipit astrolabi. In sua sit preceps discrimina quisque superbus. / Intolerabilius nihil est quam vita superbi.

Auctor libelli de moribus medicorum capitulo 12. Ingratos homines inflata superbia reddit.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiis capitulo 45. Non durare potest inflata superbia fili.

Prouerbia vulgaria. Chi non se piega se rumpe / Lagnelo humele lata la sua mare elaltrua.

#### De arrogantia iactantia insolentia et vanagloria: Rubrica 4

Salomon in prouerbiis capitulo 16. Abhominatio domini est omnis arrogans. 24. capitulo. Qui se iactat et dilatat iurgia concitatur. Idem in ecclesiastice capitulo 7. Melior est patiens arrogante.

Aristoteles magnorum moralium libro i. capitulo 52. Iactantior est plus eis que sunt sibi fingens esse aut scire que non sciuit.

Oratius in poetria. Parturient montes nascetur ridiculus mus.

Tullius rethoricorum artis veteris libro i. capitulo 12. Ex arrogantia odium solet euenire: ex insolentia arrogantia.

Quintillianus declamationum 8. declamatione. **[Insolentiam]** immeritam quoque potentiam carpit. 17. et finali declamatione. Pars voluptatis videtur esse iactatio.

Commented [CN8]: fol.98rb

Seneca epistolarum ad lucillum libro 12. epistola 2. et finali. Diuitie insolentiam dant: nihil est aliud insolentia quam spes false magnitudinis. Idem de remedio fortitorum capitulo 21. et finali. Facilius reges animum nulla vanitate rerum tumentium.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Non eris arrogans. Que nosti sine arrogantia postulanti imparies.

Boetius in topicis libro 3. Ex arrogantia fit quisque odiosus.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 13. Cae inanis glorie studium non te arroges: non te iactes: non te insolenter extollas. 28. capitulo. Magnus nunquam videri studeas. 44. capitulo. Superiori equalem te non exhibeas.

Bernardus de improbatione vitiorum capitulo 2. Uana superborum vacuat iactatio mentem.

Gaufridus in poetria capitulo 31. Cum fueris maior aliis te finge minorem. / Et de te mentire tibi nec sic in abyssum. / Deitas alios vt te super ethera tollas / Uincat opus verbum: minuit iactantia famam. Capitulo 84. Uttere consilio: licet omnia noueris vnum / Maior in hoc aliis: in verbis sis tamen vnum / Ex aliis: nec sis elati sed socialis / Eloquii: veterum clamat doctrina: loquaris / Ut plures: sapias vt pauci.

[De presumptuositate seu fiducia sui falsa: Rubrica 5]

Commented [CN9]: Abest in editione 1505

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 32. In multis esto quasi inscius: et audi tacens simul et querens.

Ouidius de tristibus libro i. epistola i. Dum petit infirmus nimium sublimia penis: / Icarus equoreas nomine fecit aquas.

Seneca de ira libro i. In ruinam prona sunt que sine fundamentis creuere.

Ualerius maximus libro 4. titulo de fiducia sua. Laudata profecto fiducia est que estimationem sui certo pondere examinat: tantum sibi arrogans quantum a contemptum et insolentia distari satis est.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Sepe ruis dum sepe petis nimis alta corona / Fac sit sufficiens vna ruina tibi. Capitulo 3. Altior assensus grauior plerunque ruina est. / Sollicitudo grauis est preparatus honor / Cum nimis alta petis citus incautusque ruina / Et grauis et subita est sexte timenda tibi.

Commented [CN10]: fol.98va

Uegetius de re militari libro 3. titulo 6. Interdum imperita rusticitas. plura promittit: et credit se scire que nescit.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Non altiori rei te imponas in qua statim tibi ascendi tremendum: descendenti cadendum sit.

Cassiodorus epistolarum libro 5. epistola 13. Ignorat modum seruare presumpto: nec potest sub modo redigi cum licentia fuerit visa concedi.

Uersificator fabularum esopi 36. fabula. Qui plus posse putat sua quam natura ministrat / Posse suum superans se minus ipse potest.

Baldo 29. fabula. Non vltra vires discant presumere viles.

Mattheus vindocinensis in poetria particula i. capitulo 6. Inconsulta nocet presumpto fallitur errat: / Naturale putans dilapidare bonum.

Gaufridus in poetria capitulo 31. Et vires metiere tuas: si fortis es aude / Grandia: si fragilis: humeris impone minori / Si mediocris: ama mediocria: sumere noli / Que quando sumis presumas.

Proverbia vulgaria. Chi piu monta che non de piu tosto cade che non cre.

#### De presumptione seu fiducia sui falsa: Rubrica 6

Salomon in proverbiis capitulo 11. Qui despicit amicum suum indigens corde est. 14. capitulo. Ambulant retro itinere et timens deum despicitur ab eo qui infami graditur via. Qui despicit propinquum suum peccat. 17. capitulo. Qui despicit pauperem exprobat factori eius.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 4. Paruipensio est actus opinionis circa id quod nullo dignum videtur. Despectuum est yronia. 5. capitulo. Nullus seipsum videtur paruipendere. Irreueuerentia est paruipensio et despectus. quos enim multum despiciimus non reueremur. 15. capitulo. Contrarium emulationi est despectio: et emulari ei quidem est despicere.

**Commented [CN11]: fol.98vb**

Ouidius methamorphosis libro 14. Spernentem sperne: sequenti / Redde vices.

Hieronymus in prefatione ysaie. Plurimi stimulante inuidia quod consequi non valent despiciunt. Marcialis coccus libro vndique suscepto capitulo 2. Contentum stulti contempnere didime laus est / Et temui a stulto dedecus esse nego.

Cato capitulo i. Minorem ne contempseris. Capitulo 3. Corporis exigui vires contempnere noli / Consilio pollet cui vim natura negavit / Iudicium populi nunquam contempseris vnu / Ne nulli placeas dum vis contempnere multos.

Cassiodorus de amicitia capitulo 13. Nemo autem se contemptum: si ei melior preferatur.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 54. et antepenultimo. Nullum contempnas: nullum spernas.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 4. Exhibeat cunctis placidus sapienter amorem / Et nullum spernat: sit licet ipse miser.

#### De contemptu seu despectione: Rubrica 7

Iob hystoria capitulo 12. Deridetur iusti simplicitas: lampas contempta apud cogitationes diuitum: parata ad tempus statutum.

Salomon in proverbiis capitulo 3. Abominatio domini est omnis illusor: Illusores dominus deludet. 9. capitulo. Qui erudit derisores ipse sibi iniuriam facit. Noli arguere derisorem ne oderit te.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 24. scilicet de bione. Bio probat non esse vituperandum senium: quod cuncti peroptamus contingere.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Ni peres erumnam: communis enim fortuna: et furtum incertum.

Iuuenalis libro i. satyra 2. Loripidem rectus derideat. ethiopem albus. 3 satyra. Nil habet infelix paupertas durius in se. / Quam quod ridiculos homines facit.

**[Marcialis]** cocus libro vndique suscepto capitulo i. Inuidus irrisor redi viuo crimine gaudet / Et semel irrisum terque quaterque cupit. Capitulo secundo. Deridens alias non ingeris abibis / Unde alias rides sceuola non facias / Sic rides alium: vel si rideris: vtrunque / Ridemus claudum dum rectum ridet alexi / Ridemus risum de sapiente tuum. / Culpa est maure: prius turpe sequi sue magis.

**Commented [CN12]:** fol.99ra

Cato capitulo i. Neminem irrideris / Miserum noli irridere. Capitulo 5. et finali. Cum sapias: animo noli irridere senectam.

Iohannes solobriensis anglicus in polycratone libro i. Demetrio regi in opprobrium puerilis levitatis tali aurei a rege parthorum dati sunt. Eo siquidem munere exornanda visa est adolescentia senilis que in maiestate regni leuia committere minime verebatur.

Iacobus beneuentanus capitulo 13. Risor derisus quilibet esse solet.

Ricardus iudex venusinus libelli pertractatione nuptiis capitulo 17. Illudens alias sepe relusus abit.

Prouerbia vulgaria. Tegnoso sta en ponte ede tutti se fa pompe. / Chi ha el mal si ha le scherme.

#### De terribilitate et metu: Rubrica 8

Salomon in prouerbiis capitulo 15. Secura mens quasi iuge conuiuum. 20. capitulo. Sicut rugitus leonis: ita et terror regis: qui prouocat eum peccat in animam suam.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 4. scilicet de chilone. Chilo lacedemonius: qui fuit vnuus de septem sapientibus iubebat mansuetum esse: vt proximi reuereantur magis quam timeant.

Aristoteles ethicorum libro 3. capitulo 7. Terribilissimum est mors. Idem pollyticorum libro 5. capitulo 3. Congregat etiam separatissimos communis timor.

Terentius in adelphis capitulo 3. Pudore et liberalitate liberos / Retinere satius esse credo quam metu / Qui imperium credit grauius aut stabilius / **[Ui]** quod sit quam illud quod amicitia adiungitur. / Malo coactus qui suum officium facit / Dum id rescitum iri credit tantisper cauet / Si sperat fore clam rursum ad ingenium reddit. / Ille quem beneficio adiungas ex aninio facit. / Studet par referre: presens absensque idem erit / Hoc patrum est potius consuefacere filium. / Sua sponte recte facere quam alieno metu.

**Commented [CN13]:** fol.99rb

Tullius phylipicorum libro i. Metui et ob id odiosum esse inuidiosum est detestabile imbecillum caducum.

Ouidius de fastis libro 4. Executitur terrore quies.

Seneca tragediarum in hercule furente capitulo 3. Opprimit leges timor. In octavia capitulo 10. Decet timeri cesarem: / At plus diligi. Idem epistolarum ad lucillum libro 18. epistola 5. Timeri tam domi quam foris molestum est: tam a seruis quam a liberis. Nemo potest terribilis esse secure. Idem de ira libro 2. Periculosus est timeri quam despici. Necesse est vt multos timeat quem multi timent.

Lex digestorum titulo quod metus causa etc. l. i. Metus instantis vel futuri periculi causa metus trepidatio.

Macrobius saturnaliorum libro 2. capitulo 7. Colant te potius serui tui quam timeant: qui colitur etiam amat. Non potest amor cum timore misceri. 18. capitulo exautior liberii. Necesse est multos timeat quem multi timent.

Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 5. Solus metus cohibet quos fides promissi non retinet.

Claudianus libro 3. Non odium terrore moues.

Gregorius in pastorali capitulo 38. Bona per semetipsa amanda sunt: et non penis compellentibus exequenda. Nam qui propterea bona facit: quia tormentorum mala metuit vult non esse quod metuit vt audenter committat illicita.

Isidorus in synonima soliloquiorum libro 2. capitulo 45. A subditis venerari magis quam timeri stude. Subiecti plus te reuereantur quam metuant: plus tibi officio dilectionis quam conditionis necessitate adhæreant. Talem te redde subiectis vt magis ameris quam timearis. Odium timor affert. Fidem metus tollit. Non sis terribilis in subditis: sic his dominare vt delectent seruire.

Commented [CN14]: fol.99va

Uersificator fabularum esopi 32. fabula. Cum timor in pacto sedet: promissa timore / Arent: nil fidei verba timentis habent.

#### De libertate et seruitute dominis et seruis: Rubrica 9

Salomon in proverbiis capitulo 22. Qui accipit mutuum seruus est fenerantis.

Aristoteles rhetoricon libri 2. capitulo 20. Stesicorus eligentibus ymreis ducem exercitus imperatorem falari idem et datus cautelam corporis cum alia disseruisset dixit eis fabulam: quomodo equus obtinebat pratum solus. adueniente autem ceruo et corrumpente pascua: volens punire ceruum interrogabat hominem si posset cum ipso punire ceruum. Ille autem ait: si acceperit frenum et ipse ascenderit super eum habens lanceam. cum consensisset autem et ascendisset pro eo vt puniret: ipse seruuit iam homini. Ita autem et vos ait videte ne volentes aduersarios punire idem patiamini cum equo. Idem polyticorum libro i. capitulo 3. Omnis seruitus preter naturam est. Libro capitulo 13. Non oportet putare seruitum esse viuere ad policiam: sed salutem.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 10. Seruo sensato liberi seruient. 33. capitulo. Si est tibi seruus fidelis sit tibi quasi anima tua.

Salustius in iugertino. Melius visum est amicos quam seruos querere: tutiusque volentibus quam coactis imperare.

Tullius rethoricorum artis noue libro 5. capitulo 10. Liber is est existimandus qui nulli turpitudini seruit. Sola virtus in sua potestate est. Idem de amicitia. Natura propensi ad libertatem sumus. Idem paradoxorum distinctione 5. Omnis animi debilitas et humilitas et fracta timiditas seruitus est. Idem philippicorum libro 2. Seruitus postremum malorum omnium: non modo bello: sed morte etiam repellendum. Libro 3. Omnis seruitus est misera. Nihil fedius seruitute. Iocundiores facit libertatem seruitutis recordatio. Libro 7. Que causa iustior est belli gerendi quam seruitutis depulsio: in qua etiam si non sit molestus dominus: tamen miserrimum posse si velit. Libro 9.  
Pro libertate vite periculo decertandum est.

Commented [CN15]: fol.99vb

Quintillianus declamationum 10. declamatione. Genus seruitutis est coacta libertas.

Petrus apostolus epistola i. Serui subditi estote in omni timore dominis: non tantum bonis et modestis: sed etiam discolis.

Paulus apostolus in epistola ad ephesios capitulo 5. et penultimo. Serui obedeite dominis vestris carnalibus cum timore et tremore: in simplicitate cordis vestri. Idem in epistola ad colossenses capitulo 3. Serui obedeite per omnia dominis vestris carnalibus non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes: sed in simplicitate cordis timentes deum. Domini quod iustum est et equum: seruis prestate: scientes quoniam et vos dominium habetis in celo.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. epistola 7. et finali. Philosophie seruias vt tibi contingat vera libertas. Libro 6. epistola 5. Arrogantie prouerbium vocatur totidem hostes esse quot seruos: non habemus hostes illos: sed facimus. Uiae clementer cum seruo comitemque et in sermone illum admitte et in consilium et in coniuctum. Colant serui tui te potius quam timeant. Libro 7. epistola 8. Qui imperia liberis excipit: partem acerbissimam seruitutis effugit. Non qui iussus aliquid facit miser: sed qui iniuitus facit.

Lex digestorum titulo de regulis iuris l. infrascriptis. Libertas inestimabiliores est. Libertas omnibus rebus fauorabilior est.

Augustinus in epygrammatibus prosperi emp. 53. Malus etiam si regnet seruus est: nec vnius domini sed quod grauius est tot dominorum quot vitiorum.

Cato capitulo 5. et finali. Cum seruos fueris proprios mercatus in vsus. / Et famulos dicas: homines tamen esse memento.

Boetius de consolatione libro i. capitulo 10. Obtemperare iusticie summa libertas est.

Cassiodorus epistolarum libro 12. et finali epistola 10. Reatus quidam est esse sub debito: nec liber potest veraciter dici qui probatur obnoxius reperiri.

Uersificator fabularum esopi 22. fabula. Alterius non sit qui suus esse potest. Fabula 55. Dittior est liber mendicans diuite seruo. / Libertas predulce bonum bona certa condit / Libertas animi cibus est et vera voluptas / Non bene pro toto libertas venditur auro / Hoc celeste bonum preterit orbis opes.

Commented [CN16]: fol.100ra

Gualterius de castellione libro 8. Esse tibi caue ne credas quos vincis amicos / Anteferet stellas tellus septemque triones. / Abluet oceanus et siccum piscis amabit. Quam serui ad dominum sit veri nexus amoris / Inter eos nulla est concordia: nam licet extra / Pax pretendatur: odio confligitur intus / Pacem vultus habet: agitant precordia bellum.

#### De famulis et domesticis: Rubrica 10

Salomon in proverbiis capitulo 15. Conturbat domum suam qui sectatur auaritiam.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Esto adherentibus tractabilis non sublimis: nam despicientium tumorem vix equidem tolerabunt serui: modum vero tractabilium cuncti ferunt alacriter.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 8. Noli esse sicut leo in domo tua eunes domesticos tuos et opprime subiectos tibi.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 18. epistola 5. Timeri tam domi quam foris molestum est: tam a seruis quam a liberis. Idem de breuitate vite: Eorum miserrima est conditio: qui nec suis quidem laborant occupationibus: ad alienum dormiunt sonum: ad alienum ambulant gradum: ad alienum comedunt appetitum.

Boetius de consolatione libro 3. capitulo 9. Que pestis est efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus.

Bertrandus yconomica capitulo 15. Famulum alti cordis repelle: vt futurum inimicum. Famulum tuis moribus blandientem repelle. Famulum de facili se verecundantem dilige vt filium.

#### De nobilitate et ignobilitate: Rubrica 11

Aristoteles ethicorum libro 4. capitulo 4. Nobiles dignificantur honore. Idem rhetoriconum libro 2. capitulo 17. Nobilitas est honorabilitas progenitorum. Nobile quidem est secundum generis virtutem. Differunt mores his qui nuper possederunt et his qui ab antiquo: in eo quod omnia magis et maiora mala habent nuper ditati: quasi enim in eruditio diuitiarum est nuper dictatum esse. Idem pollyticorum libro 4. capitulo 7. Ingenuitas est virtus et diuitie antique. Nobiles esse videntur quibus existunt progenitorum virtus et diuitie. Nobilitas et virtus in paucis est.

Commented [CN17]: fol.100rb

Tullius inuestiuia in salustium. Sacius est me meis rebus gestis florere: quam malorum opinione niti: et ita viuere vt sit posteris mei nobilitatis initium et virtutis exemplum.

Ouidius methamorphosis libro 13. Nam genus et proauos et que non fecimus ipsi / Uix ea nosti voco. Idem de ponto libro i. epistola 9. et penultima. Non census nec clarum nomen auorum: / Sed probitas magnos ingeniumque facit. Idem de luco. Nobilitas hominis mens et deitatis imago / Nobilitas hominis virtutum clara propago / Nobilitas hominis humilem releuare iacentem. / Nobilitas hominis mentem refrenare furentem / Nobilitas hominis nisi turpia nulla timere.

Seneca tragediarum in hercule furente capitulo 3. Qui genus iactat suum: / Aliena laudat. Idem epistolarum ad lucillum libro 5. epistola 10. Habet ipse hoc optimum generosus animus quod concitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenii virum humilia delectant et sordida. Idem de moribus. Nobilitas est hominis generosus animus.

Iuuenalibus libro 3. satyra 2. Scemata quid faciunt. / Nobilitas sola est atque vnicula virtus. / Miserum est aliene incumbere fame. / Malo patri tersit tersites: dummodo tu sis / Eacide similis vulcanaque arma capescas. / Quam te tersite similem producat achilles.

Lex autentici titulo de consulibus §. alia vero non decorabitur. Uxores corruscantur radiis maritorum.

Ualerius maximus libro 3. titulo de his humili loco natis clari euaserunt. Tullii hostili incunabula agreste tugurium cepit. Eiusdem adolescentia in pecore pascendo fuit occupata. Ualidior etas imperium romanum rexerit. Cum **duplicavit** senectus excellentissimis ornamenti decorata in altissimo maiestatis fastigio fulsis. Uarro miro gradu ad consulatu macelaria patris tabernacula concendit. Socrates non solum hominum consensu verumetiam appolinis oraculo sapientissimus iudicatus phanarete matre obstetricae et sophonisco patre marmorario genitus ad clarissimum glorie lumen excessit. Euripides quam matrem: aut quem patrem demosthenes habuerit: ipsorum quoque seculo ignotum fuit. Alterius autem matrem cultelos vendidisse omnium pene doctorum littere loquuntur. Sed quid aut illius tragica: aut his oratoria vi clarius.

Boetius de consolatione libro 3. capitulo 7. Inest dignitas propria virtuti: quam protinus in eos quibus fuerit adjuncta transfundit. 11. capitulo. Uidetur esse nobilitas quedam laus de meritis prouentuum proueniens. Siquid est in nobilitate bonum id arbitror esse solum ut imposita nobilibus necessitudo videatur ne a maiorum virtute degenerent. 12. capitulo. Omne hominum genus in terris simili surget ab ortu. Quid genus et proauros strepit. Si primordia vestra Auctoremque deum species: nullus degenerextat. Ni vicii peiora fouens proprium deserat ortum.

Cassiodorus epistolarum libro epistola 17. Tantum quis nobilior erit quantum et moribus probis et luculenta facultate reluxerit. Libro 5. epistola 4. Dignitas nec diuitiis nec solis natalibus inuenitur: sed tantum eam cum doctrina coniuncta potest impetrare prudentia. Hec est indubitate nobilitas que moribus probatur ornata. Libro 8. epistola 19. Si inueterate et per genus ducte diuitie nobiles faciunt: multo magis praestantior est cuius origo thesauris prudentie locuplex inuenitur. Libro 9. epistola 8. Doctrine perfacile est ornare generosum: que etiam ex obscuero nobilem facit. 22. epistola. Abunde cognoscitur quisquis teste fama laudatur.

Claudianus libro 4. Asperius nihil est humili cum surgit in altum.

Andreas ad gualterium de amore libro i. Sola fuit morum probitas que primitus homines nobilitate distinxit ac generis inducit differentiam. Magis ex moribus quam ex sanguine deprehenditur cuiusque nobilitas.

Gualterius de castellione libro i. Uirtus non queritur extra. / Non eget externis qui moribus intus abundat. / Nobilitas sola est: animum que moribus ornat.

Commented [CN18]: fol.100va

Commented [CN19]: fol.100vb

Mattheus vindocinensis in poetria particula i. capitulo 6. Uirtus nobilitat animum: virtute remota:  
/ Migrat in exilium nobilitatis honor.

Heinricus samariensis libro i. particula i. Non presigne genus nec clarum nomen auorum: / Sed  
probitas vera nobilitate viget.

#### De preciositate et vilitate: Rubrica 12

Seneca in epistolis ad lucillum libro 8. epistola 2. et penultima. Uile videtur quicquid patet.

Uegetius de re militari libro 3. titulio 26. et finali. Usitata vilescent.

Marcialis cucus libro vndique suscepto capitulo 3. Uilia diuitibus notum est plerunque placere. /  
Non quod sint vilia: sed quia rara line. / Sic plerunque premit preciosa frequentior vsus.

Prosper sub 66. emp. Ultro oblatorum vilius est precium.

Uersificator fabularum esopi fabula 22. Omne boni precium nimio vilescit in vsu.

Andreas ad gualterium de amore libro i. Uilius res venalitati exposita comparatur: quam si  
vendor ab emptore rogetur.

Heinricus samariensis libro i. particula i. Omne quod est crebrum nimio vilescit in vsu. / Omne  
quod est rarum carius esse solet.

#### De laude et commendatione: Rubrica 13

Iob hystoria capitulo 18. Lux impii extinguetur: nec splendebit flamma ignis eius. 20. capitulo.  
Laus impiorum breuis est.

Psalmista 32. psalmo. Rectos decet laudatio.

Salomon in prouerbiis capitulo 27. Laudet te alienus et non os tuum. 24. capitulo. Uir fidelis  
multum laudabitur.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 6. scilicet de biante. Bias vnuus de septem sapientibus  
ait: Indignum virum ne laudes ob diuitias.

Aristoteles ethicorum libro i. capitulo 7. Uidetur omnino laudabile in quale quid esse: et ad  
aliquid qualiter habere laudari. Sunt laudes per relationem. Laus est operum similiter et  
corporalium et animalium. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 42. Liberalis est  
laudabilis. 71. capitulo. Laudabiles sunt prudentes. Laus virtus est. Idem rethoricorum libro i.  
capitulo 16. Laus est sermo elucidans magnitudinem virtutis. Commendatio operum est. Libro 2.  
capitulo 9. Laudare presentem adulacionis est.

Commented [CN20]: fol.101ra

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris.

Oratius in epistolis libro i. epistola 19. Qualem commendes etiam atque aspice ne mox / Incutiant aliena tibi peccata pudorem. Libro secundo epistola 2. Plenius equo / Laudat venales qui vult excludere merces.

Tullius rethoricorum artis noue libro 3. capitulo 2. Non solum laudis causa rectum sequi conuenit: sed si laus consequitur duplicatur recti appetendi voluntas. Idem phylipicorum libro 2. Ut quondam morbo aliqui ex sensu stupore suavitatem cibi non sentiunt: sic libidinosi auari facinorosi vere laudis gustum non habent.

Ouidius epistolarum 12. epistola. Ut culpent alii: tibi me laudare necesse est. Idem de ponto libro 4. et finali epistola 2. Excitat auditor studium laudataque virtus. / Crescit et immensum gloria calcar habet.

Paulus apostolus epistola 2. ad corinthios capitulo 10. Qui gloratur in domino gloretur. non enim qui seipsum commendat ille probatus est: sed quem dominus commendat.

Seneca in epistolis ad lucillum libro 7. epistola 4. Quid letaris quod ab hominibus his laudatus es quos non potes ipse laudare. Qualis quisque sit sciens si quemadmodum laudet aspexeris. Libro 18. epistola 2. Magnificum est laudari a laudato viro laude digno. Merentem laudare iustitia est. Idem de tranquillitate animi: Qui non inter laudantium blandientiumque positus greges plurimum: inde sibi ipsi ipse assentatus est. Idem de remediis fortitorum capitulo 8. Dispicere malis laudari est. Idem de moribus: Neminem cito laudaueris: neminem cito accusaueris.

Plinius de naturali hystoria in prohemio. Benignum est et plenum ingenii pudoris profiteri per quos profeceris.

Commented [CN21]: fol.101rb

Ualerius maximus libro 4. titulo de paupertate capitulo 4. Non est necessaria solide laudi cupidinis anxia diuitiarum comparatio.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Uituperat subito: subito qui laudat alebs. / Nulli credo decus laudari a turpibus herme / Sed nec laudari ob turpia credo decus / Premio vel laudes abnuimus sceleri.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Lauda parce: vitupera parcus: nam similiter reprehensibilis est nimia laudatio quam immoderata vituperatio. illa siquidem adulazione: ista malignitate suspecta est. Non quam multis: sed qualibus placeas cogita. 4. capitulo. Sit tam triste tibi laudari a turpibus ac si lauderis ob turpia. Nec extollas quemquam nec deicias.

Cato capitulo 2. Cum te aliquis laudat iudex tuus esse memento. / Plus alius de te quam tu tibi credere noli. Capitulo 3. Nec te collaudes nec te culpaueris ipse / Hoc faciunt stulti quos gloria vexat inanis. Capitulo 5. et finali. Laudaris quicunque palam quodcumque probaris / Hoc vide ne rursus leuitatis crimine damnes. / Parce laudato: nam quem tu sepe probaris. / Una dies qualis fuerit ostendet amicus.

Boetius de disciplina scholiarum libro 3. Rerum effectus exhibitione operis declaratur.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 2. Quid maius queritur quam ibi inuenisse laudum testimonia vbi gratificatio non potest esse suspecta. 3. epistola. Crescere virtutes solent ad

preconii fastigium. Libro 8. epistola 3. Cum successor amplius laudari nititur precedentis fama letatur. Libro 4. epistola 30. Perfectum opus suum laudat auctorem. 31. epistola. Prudens frequentiam non respuat hominum in qua se nouit esse laudandum. alioquin virtutibus fama tollitur si earum merita in hominibus nesciantur. Libro 9. epistola 22. Magnus verecundie stimulus est laus parentum dum illis non patimur esse impares quos **gaudemus** auctores. 25. epistola et finali. Gloriosis dominis gratiora sunt preconia quam tributa. Libro 11. epistola 23. Iuste potiora consequitur qui de commissa sibi negocii perfectione laudatur.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 2. Alterius laudes moderate dicere laudo. / Sed proprias nemo si sapit ipse refert.

Andreas ad gualterium de amore libro i. Callidi videntur blandimenti obtinere commentum laudes aspectu laudati prolate.

Mattheus vindocinensis de hystoria tobie capitulo 30. Se laudi conformet opus: nisi facta marrites / Uerbis verba nocent friuola: fructus abest.

Prouerbia vulgaria. Loura loda el maestro / Chi lalda el mato fal saiire.

#### De fama seu estimatione laudabilis et infamia: Rubrica 14

Salomon in prouerbiis capitulo 15. Fama bona impinguat ossa. 22. capitulo. Melius est nomen bonum quam diuitie multe. Super aurum et argentum gloria bona. Idem in ecclesiastice capitulo 7. Melius est nomen bonum quam vnguenta preciosa.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Uererere crimina tam etsi falsa sunt: nam plerique veritatem ignorant: opinionem autem coniectant. Decet quidem formidatum esse malis vite exitium: virtuosis vero ignominiam vite.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 41. Curam habe de bono nomine. Bonum nomen permanebit in euum.

Salustius in catilinario. Is demum mihi viuere atque frui anima videtur: qui aliquo negocio intentus: preclari facinoris aut artis bone famam querit.

Uirgilii eneide libro 10. circa medium. Stat sua cuique dies. breue et irreperabile tempus / Omnibus est vite: sed famam extendere factis / Hoc virtutis opus.

Tullius de officiis libro 2. Uehementer multitudinis amor commouetur ipsa fama et opinione liberalitatis beneficentie iustitie fidei omniumque earum virtutum que pertinent ad mansuetudinem morum ac facilitatem. Idem de **oratore** libro 2. Bona estimatio diuiniis prestat.

Ouidius de arte amandi libro 3. Quid petitur sacris nisi tantum fama poetis / Hoc votum nostri summa laboris habet. / Se fame vigilare iuuat: quis nosset homerum / Ulixes eternum si latuisset opus. Idem de fastis libro 2. Et memorem famam qui bene gessit habet. Libro 6. et finali. Rumor vt est velox agitatis peruolat alis. Idem de ponto libro i. capitulo i. Pena potest demi: culpa perennis erit.

**Commented [CN22]:** fol.101va

**Commented [CN23]:** fol.101vb

Seneca in epistolis ad lucillum libro 15. epistola 4. Quanta dementia est vereri: ne infamieris ab infamibus. Idem de clementia. Nulli magis curandum est qualem famam habeat quam qualemcunque meruerit.

Iuuenalis libro 3. satyra 2. Omne animi vicium tanto conspectius in se / Crimen habet quanto maior qui peccat habetur. Libro 4. satyra 2. Maior fame sitis est quam / Uirtutis.

Lex digestorum titulo de variis et extraordinariis cognitionibus l. p. §. i. Existimatio est illese dignitatis status: legibus ac moribus comprobatus.

Marcialis cocus epigrammaton libro 5. Esse quid dicam quod viuis fama negatur / Et sua quod ramus tempora lector amat. / Hi sunt inuidie nimirum regule mores / Preferat antiquis semper vt illa nouis. Idem libro vndique suscepto capitulo 3. Dum crescit ramis et non radicibus arbor / Emiliane breui flamine mota ruit / Qui celeris fame ramis per inania tendit: / Non radice operum corruvit ex facili. / Dici aut esse bonum: non nos reputemus vt vnum / Dici non proderit. Dici aut esse malum prothe non dicimus vnum. / Dici si noceat: sed nocet esse magis. Capitulo 4. Omnis homo vicium tanto famosius in se: / Quanto qui peccat maior habetur: habet.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 4. Fame bone esto: neque tue semiator: neque aliene inuidus.

Fulgentius mitologiarum libro. 3. et finali. Dum quis famam timuerit sapiens erit.

Cato capitulo i. Estimationem retine. **Capitulo 5. et finali.** Si famam seruare cupis dum viuis honestam / Fac fugias animo que sunt mala gaudia vite.

Commented [CN24]: fol.102ra

Boetius de disciplina scholarium libro 3. Fame nouerca est adunca tenacitas. Idem de consolatione libro 3. capitulo 11. Plures magnum sepe nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 3. Indigi animi signum est fame diligere commodum. Libro 5. epistola 12. Pulchrum est commodum fame feda neglexisse lucra pecunie. Libro 8. epistola 23. Hoc nature thesaurus: reponimus quod fame commodis applicamus.

Isidorus in synonima soliloquiorum libro 2. capitulo 27. Disce bono flagrare preconio. Custodi bonam famam tuam.

Iohannes solobiensis anglicus in polycratone libro 6. Isocrates querenti quomodo quis famam optimam compararet. Si gesserit inquit optima et locutus fuerit pauca.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 18. E minimo crescit: sed non cito fama quiescit. / Quamvis mentitur crescit eundo tamen.

Auctor rudium doctrine libro 2. Neglector fame fiet neglector honoris. / Et merito cunctis ille perossus erit. / Et quisquis famam cupiat retinere celebrem. / Omnibus hic studeat gratus adesse bonis / Sit mitis cunctis tractabilis atque benignus: / Subleuet vt nomen prospera fama suum. / Et si displiceat prauis non sollicitetur / Quis nisi sit prauis nemo placere potest / Uerum profiteor simul omnibus opto placere. / Si nequeo saltem glisco placere bonis.

Mattheus vindocinensis in poetria particula 2 et finali capitulo 9. Fama citat laudem: laus premia: preminentem. Idem de hystoria tobie capitulo 35. Est fame preciosa fames: si fama labore: / Uita labat: precium labitur: alget honor.

Heinricus samariensis libro i. particula i. Quem semel horrendis maculis infamia nigrat. / Ad bene tergendum multa laborat aqua.

Iacobus beneuentanus capitulo i. Ille beatus erit cui bona fama viget. Capitulo 50. Non valet  
extingui sordida fama bene.

Commented [CN25]: fol.102rb

Auctor libelli qui incipit astrolabi. Detimenta tue caueas super omnia fame.

Prouerbia vulgaria. Blasmo noze esenza foco coze.

#### De gloria dignitate ambitione honore et vituperio: Rubrica 15

Salomon in prouerbiis capitulo 3. Gloriam sapientes possidebunt: stultorum exaltatio ignominia. 5. capitulo. Ne des alienis honorem tuum. 15. capitulo. Gloriam precedit humilitas. 20. capitulo. Honor est homini qui separat se a temptationibus. 25. capitulo. Ne gloriosus appareas coram rege: et in loco magnorum ne steteris: melius est enim vt dicatur tibi ascende huc: quam vt humilioris coram principe. 29. capitulo. Superbum sequetur ignominia et humilem spiritu suscipiet gloria.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Ex communibus curis discede non ditior: sed gloriosior: nam potius pluribus opibus preconium quod a multitudine.

Aristoteles ethicorum libro i. capitulo 2. Ciuilis vite fere honor finis est. Uidetur in honorantibus magis honor esse quam in honorato. Libro 4. capitulo 4. Nobiles significantur honore: et potentes vel diuites. Superexcellens bono honorabilius est. Secundum veritatem bonus solus honorandus est. Libro 8. capitulo 8. et finali. Uirtutis et beneficii honor retributio est. Non honoratur qui nullum bonum communi tribuit. commune enim datur ei qui commune beneficiat. honor autem commune. Non est simul ditari a communibus et honorari. Idem magnorum moralium libro 2. capitulo 7. A virtute quidem honor fit. Honor magnus factus peiores facit. Idem rethoricorum libro 2. capitulo 9. Nullus de gloria curat nisi propter glorificantes. 16. capitulo. Iuuenes amatores sunt honoris. maxime autem amatores victorie: excellentiam enim concupiscit iuuentus. excellentia enim victoria quedam est et ambo hoc magis quam amatores pecuniarum. Libro 3. et finali capitulo 16. Optet bonos honorari. Idem polyticorum libro 3. capitulo 6. Honores dicimus esse principatus. 7. capitulo. Rationabiliter preparantur honori nobiles et diuites.

Salustius in catilinario. Rectius videtur esse ingenii quam virium opibus gloriam querere. Diuitiarum et forme gloria fluxa atque fragilis est. virtus animi clara eternaque habetur. Ambitio multorum mortales falsos fieri subegit.

Commented [CN26]: fol.102va

Tullius de officiis libro i. capitulo 29. Uix inuenitur qui laboribus susceptis periculisque aditis non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. Idem rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 10. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Dignitas est alicuius honesta et cultui

et honore et verecundia digna auctoritas. Idem in oratione pro marco marcello. Gloria est illustris perugata magnorum vel in suos vel in patriam vel in omne genus hominum fama meritorum. Idem phylippicorum libro i. Ea est gloria laus recte factorum magnorumque in rem publicam meritorum que tum optimi cuiusque: tum etiam multitudinis testimonio comprobatur. Bene de re publica mereri: laudari: coli: diligi gloriosum est. Libro 2. Quam miserum est id negare non posse quod sit turpissimum confiteri. Libro 3. Nihil est detestabilius dedecore: nihil fedius seruitute. Ad decus et libertatem nati sumus: aut hec teneamus: aut cum dignitate moriamur. Dedecus virtus propulsare solet.

Ouidius de tristibus libro 5. epistola 18. Denique non paruas animo dat gloria vires. / Et fecunda facit pectora laudis amor.

Quintillianus declamationum 5. declamatione. Ingenitus est amor.

Lucas in euangelio capitulo 14. Cum inuitatus fueris ad nuptias non discumbas in primo loco ne forte honoratior te sit inuitatus ab eo: et veniens is qui te et illum vocavit dicat tibi da huic locum: et tunc incipias cum rubore nouissimum tenere. Sed cum vocatus fueris vade recumbe in nouissimo loco: vt cum venerit qui te inuitauit dicat tibi amice ascende superius: tunc erit tibi gloria coram simul discubentibus.

Paulus apostolus in epistola ad galatas capitulo 6. Non efficiamur inanis glorie cupidi.

Seneca in epistolis ad lucillum libro 8. epistola i. Illa que temere laudantur et vulgi sententia bona sunt: inflant inanibus letos. Idem in prouerbiis. Loco ignominie est apud indignum dignitas.

Commented [CN27]: fol.102vb

Ualerius maximus libro 2. titulo i. Arriopagus athenis bonos ciues corona decorandi primo consuetudinem introduxit: duobus oleo connexis ramulis clarum periculis cingendo caput: probabile fuit institutum: nam virtutis vberimum alimentum est honos. Libro 7. titulo sapientum dicta aut facta. Socrates expedita et compendiaria via eos ad gloriam peruenire dicebat: qui id agerent vt quales videri vellent tales etiam essent. Libro 8. titulo quantum momentum sit etc. 15. capitulo. Nulla est tanta humilitas que dulcedine glorie non tangatur.

Lex digestorum libro 12. titulo scilicet de dignitatibus l. ii. Neque famosis et notatis et quos scelus aut vite turpitudo inquinat et quos infamia ab honestorum cetu segregat dignitatis porte patebunt. Titulo de consulibus libro i. Repetiti fasces virtutem spe meriti comprobant. Nihil est altius dignitate. Titulo de re militari l. contra publicam vtilitatem. Honoris argumentum non ambitione: sed labore ad vnumquemque conuenit deuenire.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Oris onus magnum: dum magnum queris honorem. Capitulo 3. Sollicitudo grauis est preparatus honor / Deficit exurgens gloria de nihilo.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 4. Uane glorie sis contemptor.

Prosper sub vltimo capitulo. Contentus modicis vtet sublimis haberi.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 11. Collata improbis dignitas non modo non efficit dignos: sed prodit potius et ostentat indignos. Libro 3. capitulo 7. Dignitates non fugare: sed illustrare potius nequitiam solent. Non possumus ob honores reuerentia dignos iudicare quos

ipsis honoribus iudicamus indignos. Eo abiectior est quo magis a pluribus quisque contemnitur.  
11. capitulo. Plures magnum sepe nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 24. Laborem quippe non refugit qui virtutis gloriam concupiscit. Libro 4. epistola 31. Uituperationem generant que in mediis conatibus egra deseruntur. Libro 5. epistola 13. Pulchrum est commodum fame feda neglexisse lucra pecunie. Libro 6. epistola 10. Periclitarentur grauiter boni mores: si aut solis diuitibus: aut corpore valentibus prestarentur tantummodo dignitates. Sapientia est que honores meretur. 11. epistola. Illum siquidem honores glorificant quem commendat et vita. 12. epistola. Interdum assidui labores et ipsas ingratas faciunt dignitates. Graue pondus inuidie est splendere singuli claritate et morum lampade non lucere. Libro 8. epistola 4. Dignitas est subiecta affatus meruisse dominantis. 14. epistola. Semper in honore manet: si cuius est tranquillus animus eum quoque serenissimus commendet aspectus. 19. epistola. Affectat vnuisque gloriam suam. 31. epistola et antepenultima. Querat eruditus vbi possit existere glriosus. Prudens frequentiam non respuat hominum in qua se nouerit esse laudandum. Alioquin virtutibus fama tollitur si earum merita in hominibus nesciantur.

Commented [CN28]: fol.103ra

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 44. Iuxta dignitatem redde vnicuique honorem. Superiori equali te non exhibeas. 52. capitulo. Cui plus commendatur plus ab eo exigitur. Citius patet insidiis glriosus. gloria enim inuidiam parit. inuidia vero pericula generat. Idem in poetria particula 2. capitula 3.

Mattheus vindocinensis de hystoria tobie capitulo 30. Si queratur honor onus intricatur honori / Si delectat honos: onus adiacet exigit esse / Fructus honos oneris: fructus honoris onus. Capitulo 32. Iusta relatio gaudet honore fides. Capitulo 35. Sarcina dedecoris: damno preponderat. / Excruciat cupidos inficiatus honor. / Hypocrite gratus est popularis honor.

Iacobus beneuentanus capitulo 55. Te viuente tuum nulli prebebis honorem. / Sed tibi conserua carus vt esse queas.

Ricardus iudex venuxinus. Quisquis honorari cupit idem debet honorem / Hunc aliis gerere quem cupit ipse sibi. / Est honor ille tuus: aliis quem feceris ipse.

Commented [CN29]: fol.103rb

Prouerbia vulgaria. Gloria vana se florissenno grana.

#### De reuerentia et honorificatione: Rubrica 16

In leuitico capitulo 19. Coram cano non capite consurge et honora personam senis.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 4. scilicet de chilone. Chilo lacedemonius qui fuit vnu de septem sapientibus iubebat senium honorare.

Aristoteles rhetoricon libro i. capitulo 5. Irreuerentia est paruipensio et despectus. quos enim multum despiciimus non irreueremur. Libro 2. capitulo 17. Reuerentiores facit dignitas. Reuerentia est mollis et decens grauitas. Libro 3. et finali capitulo 16. Oportet bonos honorari. Idem pollyticorum libro capitulo 7. Rationabiliter preparantur honori nobiles et diuites.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 11. In medio seniorum ne adiicias loqui. 32. capitulo.  
Loquere maior natu decet enim te. Adolescens loquere in tua causa vix. Ubi sunt senes non  
multum loquaris. 37. capitulo. Honora medicum propter necessitatem.

Tullius rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 9. Obseruantia est per quam homines aliqua  
dignitate antecedentes cultu: quodam et honore dignantur.

Petrus apostolus epistola. Omnes honorate. Regem honorificate.

Paulus apostolus epistola i. ad timotheum capitulo 5. Seniorem ne increpaueris: sed obsecra vt  
patrem.

Lex digestorum titulo de obsequiis a liberis et libertis etc. l. antepenultima. Liberto et filio  
semper honesta et sancta persona patris ac patroni videri debet. Titulo de iure immunitatis l.  
semper in principio. Iabolenus iurisconsultus cuius romanus ait semper in ciuitate nostra senectus  
venerabilis fuit: nam que maiores **nostri** pene eundem honorem senibus quam magistrantibus  
tribuebant.

Commented [CN30]: fol.103va

Ualerius maximus libro 2. titulo de institutis antiquis. Senatui iuuentus ita cumulatum et  
circumspectum honorem reddebat tanquam maiores natu adolescentium communes patres essent.  
Quo circa inuuenes ea die qua consilium celebrabat senatus conueniebant: vt aliquem ex patribus  
conscriptis: aut propinquum: aut paternum amicum ad curiam reducerent: affixe valuis  
expectabant donec reducendi etiam officio fungerentur. Qua quidem voluntaria statione et  
corpora et animos ad publica officia impigre substinenda roborabant: breuique processu  
morarum in luce virtutum suarum verecunda laboris meditatione ipsi doctores erant.

Boetius de consolatione libro 3. capitulo 7. Non possumus ob honores reuerentia dignos iudicare  
quos ipsis honoribus iudicamus indignos.

Isidorus in synonima soliloquiorum libro 2. Superiori equalem te non exhibeas.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 4. Inter maiores caueat ne multa loquatur.

#### De obsequio et resistentia: Rubrica 17

Terentius in andria capitulo 3. Hoc tempore obsequium amicos veritas odium parit.

Ouidius de arte amandi libro 2. Flectitur obsequio curuatus ab arbore ramus. / Franges: si vires  
experiare tuas. / Obsequio transnantur aque: nec vincere possis / Flumina si contra qua rapit vnda  
nates / Obsequium tigresque domat tumidosque leones. Idem de remedio amoris libro i. Dum  
furor in cursu est currenti cede furori / Difficiles aditus impetus omnis habet / Stultus ab obliquo  
qui cum descendere possis / Pugnat in aduersas ire natator aquas.

Seneca in prouerbiis. Bonus animus nunquam erranti obsequium accommodat.

Ualerius maximus libro 7. titulo sapienter dicta aut facta. Aristoteles calistenem **auditorem** suum  
ad alexandrum mittens monuit cum eo: aut nunquam: aut quam iocundissime loqueretur quo  
scilicet apud regias aures vel silentior tutor: vel sermone esset acceptior. At illis dum

Commented [CN31]: fol.103vb

alexandrum macedone gaudente in persica salutatione obiurgat et ad macedonicos mores inuitum reuocare beniuole perseuerabat spiritu carere iussus: seram neglecti salubris consilii presentiam egit.

Cecilius firmianus de beata vita libro 7. et finali. Mores ac vicia regis imitari genus obsequii est.

Prosper sub. 34. emp. Equum est seruire regibus et ducibus.

Cato capitulo 2. Uincere cum possis interdum cede sodali. Obsequio quoniam dulces retinentur amici.

Cassiodorus de amicitia capitulo 24. Illud obsequium dannabile est quod amicum indulgentiorem viciis facit. Idem epistolarum libro 3. epistola 34. Libentibus animis obedite: vt fides vestra que iam prioribus monstratur exemplis: subsequentibus quoque declaretur inditiis. Gratius est obsequium quod deuotione perpeti custoditur.

Isidorus in synonima soliloquiorum libro 2. capitulo 44. Defer obsequia nil iuxta mores. Facientem et obsequentem par pena constringit.

Mattheus vindocinensis de hystoria tobie capitulo 31. Obsequio refouetur amor.